

Band X., Nr. 4433, Seite 177-178

*Der Edle Werner von Zimmern verkauft an Kloster Alpirsbach den Kelnhof
in Altoberndorf.*

Schramberg, 1293. Oktober 27.

In dei nomine. Amen. Ego Wernherus nobilis de Zimmern scire cupio universos et singulos presentem litteram intuentes tam posteros quam presentes, quod ego pro me et omnibus meis heredibus seu successoribus curiam inferiorem dictam kelinshof sitam in superiori Oberndorf ad me iure proprietatis pertinentem cum omnibus suis attinentiis scitis vel investigandis, puta pascuis pratis agris nemoribus domibus iuribus ac aliis quecumque fuerint appendiciis universis, sicut ego habui et possedi, vendidi iusto titulo venditionis iure proprietatis pure et liberaliter honorabilibus in Christo viris religiosis . . . abbati et conventui monasterii in Alperspach ordinis sancti Benedicti nomine ipsius monasterii ipsisque tradidi pure et liberaliter dicte curie possessionem pro octoginta marcis puri et examinati argenti ponderis oppidi Oberndorf, quam quidem pecuniam plene et integraliter a predictis dominis recepi et confiteor me publice recepisse et in usus meos legaliter convertisse. Hanc venditionem seu traditionem profiteor fore factam nullo excepto nisi iure patronatus ecclesie ville predicte et iurisdictione iudicandi in eadem villa etiamsi eadem iura eidem curie forent annexa. Hoc etiam adiecto, quod villicus seu colonus dicte curie debet coram me, qui iurisdictionem in eadem villa habeo iudicandi de se querelantibus stare iuri communitatem convillanorum rite et rationabiliter observando in hiis, que coram me vel meo substituto iudicalem indaginem exigunt et requirunt, puta in eligendo custodes frugum pecorum vel nemorum seu pascuorum et in eo quod vulgariter ainunge appellatur et in hiis similibus. In hiis vero [que exa]ctionem¹ pabuli avene feni vel herbaiarum seu albergariarum et hiis similibus exigunt, nichil iuris in dicta curia debeo usurpare nec debet colonus curie in hiis villanorum consuetudines observare, omni tali iure si quod mihi usurpare vellem quod absit penitus circumscripto. Constituo insuper me warandum dictorum dominorum nomine ipsius monasterii ipsisque do veram warandiam prout de iure teneor de dicta curia in iudicio et extra ac de proprietate ipsius curie nec non omnibus aliis necessariis contra quelibet ubi ipsis et ipsorum monasterio fuerit oportunitum, renuntians super premissis omni iuri et actioni seu omni beneficio iuris tam canonici quam civilis, puta exceptioni non numerate pecunie

¹Loch im Pergament. Ergänzung aus dem Kopb.

II

ac deceptioni ultra dimidiam iusti pretii cum omnibus aliis beneficiis iuris consuetudinariis vel specialibus, que vel quod mihi vel meis heredibus seu successoribus ad recindendum dictum contractum vel contra eorum aliquod veniendum que premissa sunt contra predictos dominos vel eorum monasterium forent valitura seu valere deberent prorsus et in totum. Hoc profiteor pro meis heredibus seu successoribus universis. Testes qui interfuerunt sunt: dominus Hainricus viceplebanus in Schiltahe, Marquardus et Stainmarus fratres sui cives in Schiltahe, Bertoldus de Giselingen et Cūnradus frater suus, Volmarus de Dornhain civis in Oberndorf et magister Cūnradus rector puerorum in Alperspach, per cuius manum hoc instrumentum confectum est, et quam plures alii fidedigni. In evidentiam huius rei et testimonium indubitatum ego Wernherus predictus sigillum meo una cum sigillo nobilis viri domini Bertoldi de Valkenstain soceri mei duxi presentibus appendendum. Nos vero Bertoldus nobilis de Valkenstain, qui dicto contractui interfuimus et ipsum ordinavimus, ad instantiam dicti Wernheri generi nostri sigillum nostrum una cum suo sigillo presentibus litteris appendimus in testimonium premissorum.

 Datum et actum aput Schrannenberch, anno domini MCC nonagesimo tertio, in vigilia apostolorum Symonis et Jude.

—

Textabdruck folgt dem Original.

 An weißleinerer Litze noch das zweite Siegel, s.WUB, Bd. 7, S. 225, Nr. 2319.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 470 U 614

Überlieferung und Textkritik:

Original. Abschrift im Kopialbuch HStA Stuttgart H 14 Nr. 4 II, S. 145.

Regesten:

Glatz: Kloster Alpirsbach, S. 273.

Weitere Angaben

Ausstellungsort:

Schramberg

Ortsindex:

Alpirsbach Wohnplatz (7194)
 Alpirsbach, FDS
 Altoberndorf Wohnplatz (12360)
 Altoberndorf, Oberndorf am Neckar, RW
 Dornhan Wohnplatz (12255)
 Dornhan, RW
 Falkenstein Wohnplatz (12584)
 Falkenstein, Schramberg, RW
 Geislingen Wohnplatz (16353)
 Geislingen, BL
 Herrenzimmern Wohnplatz (12229)
 Herrenzimmern, Bösing, RW
 Schiltach Wohnplatz (12550)
 Schiltach, RW
 Schramberg Wohnplatz (12613)
 Schramberg, RW